PROPOSITIONES

DE IURE NATURALI, ROMANO, HISPANO ATQUE INDICO

DEFENDENDAE

A MARIANO MENDEZ & CORDERO

Sub disciplina

BERNARDI PAVÒN & MUÑOZ

Iur. Civil. Prof.

GUATEMALAE.
M.DCCCI.

RPICB


Surgite mortui venite ad judicium
Ste HYERONIME
Garci-Aguirre f.

S. HIERONYMO STRIDONENSI,

MAXIMO ECCLESIAE DOCTORI.

INGENIO, STUDIO,

INDEFESSOQUE LABORE

INTER SAPIENTES

PRAECLARISSIMO.

GRAECIS, LATINIS,

HEBRAICISQUE LITTERIS,

AC OMNIGENA ERUDITIONE

OMNIUM CHRISTIANORUM

DOCTISSIMO.

SACRARUM LITTERARUM

CORRECTIONE, TRANSLATIONE,

ATQUE INTERPRETATIONE,

CHRISTIANI ORBIS ORACULO,

MUNDIQUE MAGISTRO.

MARIANUS MENDEZ & CORDERO,

TRIDENTINI ALUMNUS

HAS IURIS PROPOSITIONES

C.

Si cui volupe fuerit, breviter audire Collectiones Iuris Romani, Hispani atque Indici, eas veluti per indicem ipsi recensebimus.

EX LIBRO PRIMO INSTIT. IURIS CIVILIS

Ad Tit. I.

DE IUSTITIA ET IURE.

Iustitiae virtus totius adest iurisprudentiae finis, ac proximus iurisconsulti scopus.

At civilis praecipuè, & externa iustitia, quæ est: attemperatio actionum externarum ad leges, qua quis neminem laedit, suum cuique tribuit.

Moralis namque, & interna promovenda magis â summis Imperantibus, quam à cunctis civibus speranda, aut exigenda.

De aliis divisionibus sciscitanti, respondebitur.

Ius ex propria vocis significatione est: Dei, naturæ, populi, aut summi Imperantis iussum.

Praecipuae iuris sententiae, aut principia sunt: honestè vivere, neminem laedere, ius suum cuique tribuere.

Nec de eorum numero laboramus, cum plura aut pauciora pro modulo quisque effingere possit.

Iurisprudentia est: habitus practicus leges rectè interpretandi, ritève applicandi speciebus obvenientibus.

Tria igitur iurisconsulti officia: leges videlicet scire, easdem interpretari, ac deniquè in forensi praxi applicare.

Qui

Qui primum potest sine reliquis, est *leguleius*, qui primum & secundum, at tertio destituitur *Iurisperitus* audit, qui omnia coniungit *Iurisconsultus*; at qui theoriâ destitutus, cruda studia in forum propellit, *rabula* nuncupatur.

Ergo Iurisconsulti nomen inter nos haud meretur, qui Hispanum ac Indicum ius parvipendit, etsi Romani iuris voluminibus impalluerit.

Commentarienses verò ferè omnes, imò & Pragmatici, qui iuris origines despiciunt, non nisi rabulae appellandi.

Hinc iuris patrii ac praxis Academiae semper, omnique Regno maximè utiles ac proficuae sunt.

Nec minus proficuum ac optandum Advocatorum, aut Scribarum Collegium.

Ad Tit. II.

DE IURE NATURALI, GENTIUM ET CIVILI

Leges quae per rationem innotescunt, seu ius ab ipso Deo per rectam rationem promulgatum, ius naturale appellandum.

Iustiniani itaque definitio ac consequens divisio, licèt in sensu Stoicorum verae, nobis confusionem pariunt.

Nec consensus omnium gentium, nec integritatis status, nec utilitas humani generis, & similia,

pro

pro iuris naturae norma, principio, aut fundamento habenda sunt.

Sed ordinatus amor erga Deum, seipsum, & proximum.

Ius gentium est: ipsum iuš naturæ integrarum gentium negotiis, & caussis applicatum.

Definitio ac divisio Iustiniani, quamvis verae; nobis tamen obscurae videntur.

Quae vulgò ad ius gentium secundarium referri solent, vel sunt iuris naturae hypothetici, vel ex moribus, aut ex lege pluribus gentibus communi oriuntur.

Ius humanum ab hominibus latum, ideò civile appellatur, quia quisque populus liber id sibi constituit, & cuiusvis civitatis, aut reipublicae proprium est.

Cum tamen apud nos à summo tantum Imperante proficiscatur, ius Regium propriè erit appellandum.

Civitates enim non ius, sed statuta condunt, quae á Principe confirmanda sunt (1)

Iuris scripti, seu promulgati variae species inter Romanos fuere, quas petenti, ultrò exhibebimus.

Unica inter nos, Principis videlicèt placitum, seu

(1) L. 8. tit. 1. Lib. 7. Recop. Castellæ.

seu iussum. (1.)

Si itaque Senatusconsulta, vulgò *Autos acordados del Consejo*, legis vim habent, eam à Regis approbatione mutuantur. (2)

Leges ergo, non quidem ratione originis, uti, apud Romanos, sed ratione finis aut modi eas expediendi, apud nos distinguuntur.

Consuetudo, seu ius non scriptum est: quod summi Imperantis consensu per diuturnos mores introductum est (3)

Ius sive divinum, sive humanum, sive scriptum, sive non scriptum, aut publicum est, aut privatum.

Publicum, quod de statu, ac iuribus rerumpublicarum praecipit.

Privatum, quod ad singulorum utilitatem, vel ad privatum singulorum patrimonium spectat.

Istius accurata, perfectaque cognitio acquiri nequit, quin publico sedulam operam demus.

Ad Tit. III

DE IURE PERSONARUM.

Persona sensu planè iuridico est: homo cum statu suo consideratus.

Sta-

(1.) L. 12. tit. 1. P. 1. L. 3. tit. 1. Lib. 2. Recop. Castellae
(2.) L. 62. §. 10. tit. 4. Lib. 2. Recop. Castellae.
(3) Dic. L. 3. L. 5. tit. 2. P. 1. & L. 1. tit. 2. Lib. 7. Recop. Cast.

Status est: conditio, aut modus, cuius ratione homines diverso iure utuntur, aut sub quo eos ius respicit, atque de ipsis pertractat. (1)

Tantum abest, ut hae Romanorum tricae sint, quòd & ipsa praelucente natura, diversos habeant homines status, sub quibus eos ius naturae respicit.

Ergo in ipso Hispano, Indicove iure de statu hominum meritò pertractandum.

Homines itaque, & apud Romanos, & apud nos, aut liberi sunt, aut servi.

Servi, aut nascuntur, aut fiunt.

Indi, etiam vulgò *Gañanes*, vel *Naborios*, nedùm servi proprie dicti, verùm nec adscriptitii appellari queunt. (2)

Non itaque fundis tamquam glebae adscripti, perpetuò inservire debent, aut cum ipsis alienari possunt. (3)

Sed liberi eodem modo, ac Hispani sunt, & dum serviunt, conductitii famuli appellandi, omnique humanitate prosequendi. (4)

Inter Romanos multi servitutis constituendae modi; at inter nos, haud cuncti supersunt.

Ve-

(1.) L. 1. tit. 23. P. 4. (2.) L. 11. tit. 2. L. 12. tit. 3. L. 37. tit. 8. Lib. 6. Recop. Ind. (3.) Dic. L. 11. (4.) Dict. L. 11. & tot. tit. 1. Lib. 6. Recop. Ind.

Vetitum quidèm videtur, ut Indi ad pretium participandum se ipsos vendant. (1)

In coeteris Americanis, licèt nihil hac in re ex iure antiquo immutatum; (2) id tamen ab usu recessit.

Tria etiam servitutis genera, vulgò: *de guerra, servidumbre, y usanza* penitùs in utraque America, ac inter Indos explossa iure meritòque sunt. (3)

Imò inter moratiores gentes, bello capti, non uti servi, sed velùt obsides, vulgò *prisioneros*, hodiedum detinentur (4)

Id tamen non impedit, quominùs si gentes à Christiana Religione alienae, nostrates servos in bello faciant, & nos idem, iure retorsionis facere possimus. (5)

Inita iam feliciter pace inter Regem nostrum, Turcarum Imperatorem, ac Barbariae gentes, nullum ferè superest huiusce servitutis periculum, nec usus retorsionis. (6.)

Similiter & hic retorsionis usus cum Indis Antillarum abolitus iam est, Regum nostrorum erga

In-

(1.) L. 16. tit. 2. Lib. 6. Recop. Ind. (2.) L. 1. tit. 21. P. 4. (3.) Dic. L. 16. Recop. Ind. (4.) L. 1. tit. 26. P. 2. (5.) L. 1. tit. 21. P. 4. (6.) Reg. Sched. 25. Aprilis anni 1784. cet.

Indos amore. (1)

Servi itaque apud nos, aut nascuntur, aut ex Africae oris ad nostra venales asportantur.

Alia perutilis personarum divisio est, quod homines, alii cives sunt, & naturales, alii peregrini.

Cives aut naturales dicuntur, qui saltim à patre originario, domiciliario, ac per annos decem in Regno commorante ex matrimonio, aut ex faemina libera in eodem Regno geniti sunt. (2)

Si parentes casu abfuerint, id insuper habetur, ut filii cives reputentur (3)

Si spurii filii sint, & mater originaria, modo dicto, esse debet (4)

Qui praedictas conditiones non habent, peregrini, aut extranei in iure nostro audiunt. (5)

Ita similiter appellantur, qui conditiones L. L. 31 & 32. tit. 27. Lib 9. Recop. Ind haud habent; sed hi exteri solummodò reputantur ad hoc ut libere contrahere queant.

Ex his verò videre licet, quod Hispanos inter & Americanos, nulla prorsus quoad civitatis iura sit differentia (6)

Sunt denique aliae personarum divisiones; homi-

nes

(1.) L. 13. & 16. tit. 2. Lib. 6. Recop. Ind. (2.) L. 9. tit. 3. Lib. 1. Recop. Cast. (3.) L. cad. (4.) L. cad. (5.) L. cad. (6.) L. 28. tit. 27. Lib. 9. Recop. Ind.

nes enim aut Ecclesiastici aut laici, aut nobiles, aut plebeii, cet.

Ad Tit. IV.

DE INGNUIS, ET V. DE LIBERTINIS.

QUis inter Romanos ingenuus, quis libertinus, quae verò inter libertinos differentia, qui denique manumittendi modi, quaerenti respondebitur.

Apud nos, praetèr facti infamiae quamdam speciem, aut praeconcepta opinione seclusa, nihil differt ingenuus à libertino.

Manumittendi unicus modus, domini videlicèt, expressa voluntas, quae ut probari queat, in publicam redigitur scripturam.

Favore Religionis statutum est, ut servi, qui ex Coloniis Anglorum aut Batavorum ad Hispanicas, catholicae fidei amplectendae caussa confugiunt, liberi reputentur. (1.)

Ad Tit VI.

QUI & EX QUIBUS CAUSSIS MANMITTERE NON POSSUNT.

MAnumissio in fraudem creditorum non tenet, si & consilii, & eventus fraus interveniat. (2)

Licet tamen domino, qui solvendo non est, servum manumittere, ut eius haeres existat. (3)

Pro-

(1.) Reg. Sched. 24. Sept. an. 1750. cet. (2.) L. 24. tit. 3. P. 6. (3.) Dic. L.

Probabilius putamus, etiàm licere aliquos manumittere ut haeredes, testamentarii, aut commissarii sint. (1.)

Cessasse hodiè leges, quae certam aetatem, & iustam manumissionis caussam requirunt, admodùm probabile iudicamus.

Ergò quisquis rerum suarum dominium, & administrationem habet, manumittere pro lubitu poterit.

Nec tamèn fàs erit puerulos, aut veteranos servos è manu dimittere, nisi assignata certa bonorum portione pro vitae sustentatione, arbitrio Iudicis, & audito civitatis Procuratore. (2.)

Ad Tit VII.

DE LEGE FUSIA, CANINIA TOLLENDA.

Quid hac lege cautum fuerit, explicabitur.

Ad Tit. VIII.

DE HIS QUI SUI VEL ALIENI IURIS SUNT.

Quid iure antiquo Romanorum dominis in servos permissum fuerit, sciscitanti respondebitur.

Novo autèm, non nisi moderata castigatio permissa, quod & hodiè obtinet. (3.)

(1.) L. 24. tit. 3. P. 6. (2.) Reg. Sched. 31. Maii an. 1789 cap. 6. (3.) L. 6. tit. 21. P. 4.

Imò Americae novissimo iure, distinguendum inter delicta atrociora, & communia; in his enim dominus, velùt paterfamilias iudicare, ac suavitèr punire poterit; in illis Iudex adeundus est. (1.)

Iure civili, si servi atrociùs fortè tractarentur, vendi iubebantur; at pecunia, seu pretium domino reddendum.

Hodiè, si postquam tertiò castigatus fuerit dominus poenis pecuniariis, adhùc in servum suum saevit; criminalitèr contra ipsum procedendum est, veluti si servus esset liber homo; qui quidèm, etiam vendi debet, & pretium deponendum in Arca mulctis destinata, ac in aedibus consistorialibus perpetuò sita. (2.)

In hac verò caussa ad instantiam Syndici, seu Procuratoris civitatis erit procedendum. (3.)

Servorum itaquè defensor natus, civitatis Procurator iure nostro appellandus. (4.)

Ergò eius interventu, praefigenda servis alimenta, atque vestes assignandae, proùt loci consuetudo in famulis conductitiis ferat. (5.)

Ipse etiam pro servis personam gerere debet, dum

(1.) Dic. Reg. Sched. an. 1789. cap. 8. & 9. (2.) Dic. Reg. Sched. c. 10. (3.) Ead. eod. (4.) Ead. per tot. (5.) Ead. cap. 2.

dum eis genus, ac tempus laboris, ita est designandum, ut sempèr binae horae ipsis supersint, ut sibi suoque commodo laborent. (1)

Hodiedùm deniquè, ita humanitèr servi tractandi, ut in labore, vestitu, habitatione, alimentis, recreationibus cet. nihil feré á liberis hominibus differant (2)

Ad Tit IX.

DE PATRIA POTESTATE.

Patria potestas est: ius patri competens in liberos ad communem familiae utilitatem.

Hocce ius in statu naturali amplissimum, in civili variis limitibus circumscriptum, prout leges societatis variant.

Apud Romanos peramplum fuit, donèc paulatìm ad iuris gentium terminos redactum, in his praecipuè, quae ad castigationem pertinent, quo iure utimur. (3)

Sub patria potestate solùm sunt liberi primi gradus, ulteriorum autèm ab ea liberantur, dum ex nuptiis benedictis nati sunt. (4)

Ergò patria potestas non extenditur ad avos, & pro-

(1) Dic. Reg. Sched. an. 1789. cap. 3. (2) Fad. cap. 4. 5. et 7.
(3.) L. 6. tit. 21. P. 4. (4) L. 8. tit. 1. Lib. 5. Recop. Cast.

proavos, uti apud Romanos. (1)

Iure civili aequè ac hodierno, sub patria potestate sunt liberi ex iustis ac benedictis nuptiis procreati, iure adoptati, ac legitimati (2)

Quae omnia intelligas de potestate à iure positivo petita: quae enim iuris est naturalis, omnes cuiusque generis filios complectitur, imò & ad matrem porrigitur.

Ad Tit X.

DE NUPTIIS.

Nuptiae iure Romano sunt viri, & mulieris coniunctio individuam vitae consuetudinem continens.

Solùm itaquè consensus, non concubitus, nèc domum deductio cet. apud eos nuptias constituebat.

Cives Romani nuptias, peregrini matrimonium, servi contubernium contrahere dicebantur.

Inter nuptias, matrimonium ac contubernium, id praecipuè erat discriminis, quod nuptiae solummodò civiles effectus producebant.

At haec omnia, quantùmvis utilia ad ius civile interpretandum; tamèn hodiè ex iure canonico, cui standum, minimè locum habent

Apud nos verò, etiam hodiè non omnes indiscri

(1) Dic. L. 8 tit. 1. Lib. 5. Recop. Cast. (2.) L. 4. tit. 17. P. 4. Tot. tit. 15 cad. P. et L. 10. tit. 8. Lib. 5. Recop. Cast.

criminatim cives nuptias, aut matrimonium contrahere possunt, quod inter Romanos quòad nuptias obtinebat.

Prohibentur itaque nuptiae tamquàm incestae inter ascendentes, & descendentes in linea recta usque in infinitum.

In linea obliqua iure civili secundus, & tertius gradus semper est prohibitus, quartus, & reliqui inter eas tantùm personas, quae sibi invicèm parentum & liberorum loco sunt, vel inter quas respectus adest parentelae.

Iure canonico prohibitus etiam quartus, & suae quidem computationis; ubi verò respectus adest parentelae, à iure civili non differt.

Inter Indos autèm ultra secundum gradum haec prohibitio non extenditur.

Quotocumque gradu prohibentur nuptiae ob cognationem, prohibentur ob affinitatem ex nuptiis contractam.

Quod tàm iure civili, quàm canonico obtinet.

Affinitas ex illicito coitu usquè ad secundum tantùm gradum iure canonico extenditur, in iure civili, nisi in uno, alterovè casu ferè ignota.

In cognatione civili, aut legali eadem regula servanda, quae in affinitate, scilicèt: quo gradu

pro-

prohibentur nuptiae ob cognationem carnalem, eodem prohibentur ob legalem.

In linea itaque recta usquè in infinitum, in linea obliqua usquè ad secundum, & tertium gradum, nisi quod dictum est de secundo, intelligas stante adoptione.

Cum hac super re nihil iure canonico immutatum sit, servanda est computatio civilis in legali cognatione.

Haec enim computatio licèt non in omnibus, in aliquibus tamèn differt à canonica.

In linea recta utroque iure: tòt sunt gradus, quòt generationes, vel tòt, quòt personae, dempta una.

In linea obliqua: ius civile eamdem servat regulam; at claritatis gratia, alteram suppeditamus, nimirùm: ius civile utrumque latus numerat, & quòt ex utroque latere sunt personae, tòt sunt gradus; nequè ulla adest distinctio inter lineam aequalem, & inaequalem.

Ius canonicum unum tantùm latus personarum numerat, & in linea inaequali longissimum.

Ergò quòt gradibus personae unius lateris distant à communi stipite, tòt gradibus inter se distant; in linea verò inaequali, quòt distat persona remotior.

Tam-

Tamquàm noxiae prohibentur nuptiae filiorum absquè parentum consensu.

Peti itaquè, atquè obtineri debet consensus parentum; his deficientibus, avorum; si hi desint, propinquorum aetate maiorum; horumque defectu, tutorum & curatorum; at in his duobus casibus id fieri debet cum approbatione, interventuque Regii Iudicis (1.)

Nec maior aetas caussa sufficiens est, ut paternus consensus solùm peti, nec obtineri debeat. (2)

Iudex adeundus in defectu praedictorum, in casu magnae distantiae, aut cum iniustus patris dissensus videatur. (3)

In hac civitate, Iudex vulgò de *Provincia*, extra civitatem, Gubernatores, Provinciarum Moderatores, aut vices eorum gerentes adiri solummodò possunt (4)

Indi plebeii defectu parentum, Parochorum consensum obtinere debent. (5.)

At vulgò *Caziques*, *Mestizos*, *& Castizos* reputantur quòad paternum consensum, velùt Hispano.

(1.) Pragmat. sanct. 23. Martii an. 1776. (2.) Reg. Sched 31. Maii an. 1783. (3.) Reg. Sched. 7. Aprilis an. 1778. (4.) Instruc. huiusc. Guatemal. Sapientiss. ac Reg. Senat. an. 1779. art. 1. (5.) Dic. Reg. Sched. an. 1778.

no Americani. (1.)

Seminaristae, seu Tridentini Collegii alumni, praeter parentum consensum, Episcopi ac Vice-Patroni licentiam petere, obtinereque debent. (2)

Aliorum Collegiorum alumnis, vel in Universitate studentibus sufficit Vice-Patroni licentia; sed per Rectoris manum expetita, eoque priùs exaudito, quod et de faeminarum Collegiis intelligi debet. (3)

Ceteri Americani, seu Indiarum incolae sivè Ethiopes, sivè vulgò *Mulatos* iure naturali, ac canonico tenentur, nisi quid eos inter reliquos sui ordinis praecellere faciat. (4)

Indices Ecclesiastici, ac Parochi in matrimonium haùd consentire debent, nisi priùs ipsis exhibeatur consensus eorum, qui ipsum praestare tenentur. (5)

Nèc acquiescere possunt, etiàmsi filii poenis à legibus praescriptis, ultrò sese submittant. (6.)

Qui enim absque legitimo consensu contrahere temerè praesumpserint, privantur iure dotis, petendi legitimam portionem, succedendi ut necessarii

(1.) Dic. Reg. Sched. an. 1778. et alia 13. Novemb. an. 1781. (2.) Reg. Sched. 11. Iun. an. 1792. (3.) Ead. Sched. (4) Dic. Sched. an. 1778. (5.) Reg. Sched. 8. Martii an. 1787. (6.) Reg. Sched. 8. Maii an. 1787.

tarii haeredes, cet. (1)

Sed eo tantùm casu, si id in poenam à parentibus dispositum fuerit. (2)

At mater, etsi maximè velit, nequit tamèn haeredem filium instituere, aut ei donationem facere, casu quo mariti iustus dissensus perseveret. (3)

Paternus consensus, nedùm ad matrimonium, sed ad sponsalia ita requiritur, ut sine eo nequeant Iudices Ecclesiastici libellum circa ea admittere; aut circa impedimentum ab eis proveniens. (4)

Nèc filias à domo paterna extrahere, nèc quoquom odò procedere valent, nisi parentum, aut Iudicis consensus ipsis exhibeatur. (5)

Quinimò, si ab Universitatum Scholaribus, aut ab alumnis Collegiorum contracta fuerint sponsalia absque debito consensu, sunt ipso iure nulla (6)

Eo verò demùm exhibito, nedùm facienda istius consensus mentio in proclamationibus seu bannis matrimonialibus; sed cautè etiàm notandus in libro nuptiarum. (7)

Sunt deniquè alii, qui matrimonium contrahere non possunt absque Principis consensu, alii

(1.) Dic. Pragmat. an. 1776. (2.) Reg. Sched. 16. Dec. an. 1790. (3.) Reg. Sched. 26. Maii an. 1783. (4.) Reg. Sched. 18. Sept. an. 1788. (5.) Reg. Sched. 1. Feb. an. 1785. (6.) Reg. Sched. 11. Iun. 1792. (7) Dict. Reg. Sched. an. 1785.

absque Gubernatorum Provinciarum venia cet; sed de his omnibus sciscitanti, respondebitur.(1.)

Appendix.

DE LEGITIMATIONE

LEgitimatio est: actus quo liberi illegitimi finguntur ex iusto matrimonio nati.

Triplici modo fiebat inter Romanos, per subsequens videlicèt matrimonium, per oblationem Curiae, et per rescriptum Principis. (2.)

Modus secundus in Hispaniarum Regnis in desuetudinem iàm diù abiit; eius tamèn loco, alii reperiuntur.

Si quis enim instrumento propria manu scripto, aut publico, triumque testium subscriptione confirmato, filium suum signatè eum nominans, ut talem recognoverit, eo ipso legitimum constituit. (3)

Filia naturalis fit legitima, si nupserit viro primaria civitatis munia ad vitam obeunti, uti perpetuo Decurioni. (4)

Expositi, quorum pater ignotus, pro legitimis habentur. (5)

Legitimatio per Principis rescriptum amplior, aut

(1.) L. 82. 84. et seq. Tit. 16. Lib. 2. Recop. Ind. cet. (2.) Leg. 1. tit. 13. P. 4. L. 4. et 5. tit. 15. ead. P. (3.) L. 7. tit. 15. P. 4. (4.) L. 8. eod. (5.) Reg. Sched. 12. Feb. an. 1724.

aut restrictior, quòad effectus civiles, proût Principi placuerit.

Ad Tit. XI.

DE ADOPTIONIBUS.

Praeter nuptias ac legitimatiònem adest iure civili ac Regio alius patriae potestatis adquirendae modus, nempè adoptio.

Quae est: actus solemnis, quo in locum filii, aut nepotis adsciscitur is, qui natura talis non est. (1.)

Est duplex, arrogatio, et adoptio strictiùs accepta. (2.)

Utraque imitatur quodammodò naturam, atque in solatium eorum, qui liberos non habent, est adinventa.

Cum adoptare itaquè non possint, qui generare nequeunt, hinc videre iàm licet, adoptare non posse impuberes, eunuchos, vel castratos, et quî plena pubertate, i. e. annis 18. adoptandos haùd antecedunt (3)

Foeminae licèt adoptare nequeant, id tamèn à Rege impetrare solent in solatium filii amissi, aut deperditi in servitio Regis, vel communitatis. 4.

Ar-

(1.) L. 1. tit. 16. Part. 4. (2.) L. 7. tit. 7. P. 4. (3.) L. 2, et 3. tit. 16. P. 4. (4.) Dic. L. 2.

Arrogari dicuntur homines sui iuris: filiifamiliae adoptari (1)

Arrogatio fit beneficio Principis: adoptio Magistratus decreto. (2)

In arrogatione expressus arrogati consensus requiritur: in adoptione sufficit tacitus (3)

Impuberes arrogari possunt: adoptari etiàm infantes. (4)

Et iure adoptati, i. e. ab ascendente & arrogati in factitii parentis potestatem transeunt (5)

Ad Tit. XII.

QUIBUS MODIS IUS PATRIAE POTESTATIS SOLVITUR.

Apud Romanos aequè, ac apud nos, patria potestas solvitur morte naturali, civili, i. e capitis deminutione maxima, & media, adoptione, emancipatione, filii dignitate, patrisvè crimine. (6)

Morti civilitèr quis apud nos, ac iure partitarum dicitur, dùm perpetuò damnatur ut in metallis, aut publicis operibus laboret, quod poenae servitutis speciem praesefert. (7)

Novissimo autèm iure nulla superest perpetua damnatio ad publica opera: quinimò maior, atque

(1.) L. 2. tit. 7. P. 4. (2.) Ead. L. (3) L. 1. tit. 16. P. 4 (4) L 4. eod. (5) L. 2 & 10. eod. (6) Tot. tit. 18. P. 4. (7.) L. 2. eod.

asperior decennium excedere nequit (1)

Morte civili damnari etiàm dicitur, qui in insulam ad vitam relicitur cum bonorum confiscatione, qui quidèm Romano iure deportatus apellari poterit (2)

Banniti vulgò *Encartados*, , si perpetuò è civitate abesse iubentur, eorumque bona publicentur, pro deportatis habentur (3)

Relegati verò, seu qui à civitate perpetuò, vel ad tempus exesse quidèm iubentur; sed absque bonorum confiscatione, nèc civilitèr mori, nèc patriam dicuntur perdere potestatem. (4)

De emancipatione secundùm ius Romanum quaerenti, liquidò satisfiet.

Apud nos è manu parentis, seu ex familia quis dimittitur, ut sua quadra vivere, novamque familiàm instituere possit; atque exindè omnes cum eo liberè contrahere queant.

Id tamèn non fit, nisi apud Iudicem ordinarium, qui ad colophonem rem haùd ducit, nisi priùs emancipationis caussam, seu processum supremo senatui exhibeat. (5)

Ad nihil verò procedere valet sine praevio Regis consensu, si filius minor septem annis fuerit. (6)

Dig-

(1) Pragm. sanct. 12. Martii 1771. cet. (2.) L. 2. Tit. 18. P 4. (3) L. 4. eod. (4.) L. 3. eod. (5). Senat. 20. Tit. 9. Lib. 3. Recop. (6.) L. 16. Tit. 16. Part. 4.

Dignitates quas Partitarum leges enumerant, patria equidèm solvunt potestate, at cum hodiè ferè omnes extra usum sint; dicendum: eam dignitatem; quae iurisdictionem annexâm habeat à patria eximere potestate.

Presbyteratus á patria non liberat potestate.

Si pater cum liberis crudelitèr sese gerat, aut cum filiabus lenonem faciat, è manu eos, easve dimittere cogendus, tàm iure nostro quàm Romano. (1.)

Deniquè, praeter modos recensitos, etiàm nuptiis benedictis solvitur patria potestas. (2)

Ad Tit XIII.

DE TUTELIS.

Tutela est: potestas actiones liberorum vice parentum dirigendi, eorumque bona administrandi, tantispèr dùm ipsi liberi iustam aetatem attigerint. (3)

Parentes possunt liberis omnibus impuberibus, etiàm posthumis, tutores testamento relinquere. (4)

At nepotibus iure Castellae non possunt. (5)

Néc ullo quidém iure filiis emancipatis; at verò, si

(1) L. 18. tit. 18. P. 4. (2) L. 8. tit. 1. Lib. 5. Recop. Cast. (3) L. 1. tit. 16. P. 6. (4) L. 3. dic. tit. 16. P. 6. (5) L. 8. tit. 1. Lib. 5. Recop. Cas.

si his datus, fuerit, confirmari poterit absque inquisitione, nisi quid fortassìs obstet (1)

Mater filio tutorem dare nequit, nisi haeredem ipsum instituat (2)

At tùnc casûs, tutor á iudice confirmandus, quod apud nos dicitur: *discernimiento del cargo.* (3)

Haec verò, confirmatio locum non habet, quotiès tutor à patre ritè datus est. (4)

Ad Tit XIV.

QUI TESTAMENTO TUTORES DARI POSSUNT.

Filiusfamilias, ac etiàm minor rectè tutor testamento dari poterit; minoris verò administratio suspenditur usquè ad maiorem eius aetatem. (5)

Servus paritèr, sed ita ut cum libertate expressè, aut tacitè tutor detur, vel si alienus sit servus, in id tempus paritèr detur, quo liber erit. (6)

Ita & similitèr furiosi, mente capti, prodigi, surdi, & muti, aut minores tutores testamento dati, ipso iure pro tutoribus habentur; at administratio curatori creditur donèc vitia haec evanescant (7)

Cle-

(1.) Argum. leg. 15. tit. 18. P. 4. et 8. tit. 16. P. 6. (2.) L. 6. tit. 16. P. 6. (3.) L. ead. (4.) Argum. leg 8. tit. 16. P. 6. (5.) L. 7. tit. 16. Part. 6 (6.) Dic. L. 7. tit. 16. P. 6. (7.) Argum. dic. leg. 7. et 8. eod.

Clerici tutores dari haùd possunt, nisi certis in casibus, Episcopi, ac Monachi numquàm. (1)

Tutor ex testamento, et ad certum tempus, et ex die, et sub conditione dari optimè poterit. (2)

Ad Tit. XV.

DE LEGITIMA AGNATORUM TUTELA.

PRimus pupillorum tutor lege datus est Princeps. (3)

Cum verò non nisi supremam possit exercere tutelam, alii â lege etiàm dati, scilicèt consanguini. (4)

His omnibus mater, et avia anteferendae. (5)

Distinctio agnatos inter & cognatos abolita iure nostro; imò & novissimo Romanorum. (6)

Si itaquè plures eiusdem gradus sint consanguinei, ad omnes indiscriminatìm tutela spectat. (7)

Ad Tit XVI.

DE CAPITIS DEMINUTIONE.

CApitis deminutio est: prioris status mutatio. (8)

Maxima, qua libertas, media, qua civitas, mini-

ma

(1.) L. 14. tit. 16. P. 6. (2.) L. 8. eod. (3.) L. 41. tit. 18. P. 3. (4.) L. 9. tit. 16. P. 6. (5.) L. eod. (6) L. 6. tit. 13. P. 6. & 9. tit. 16. P. 6 (7) Dic. Leg. 9. (8.) L. 18. tit. 1. P. 6.

nima, qua familia amittitur. (1)

Ergò servi poenae, & qui iustam servitutem experiuntur, maximam capitis deminutionem; deportati mediam, arrogati, seu adoptati minimam patiuntur. (2)

Id tamèn non impedit, quominùs & servitus poenae, & deportatio iuris partitarum nonnihil ab antiquis differant, modo videlicèt dicto in Tit. XII. (3)

Hodiè verò, cum servitus poenae humatitatis amore é medio sublata sit, & maxima capitis deminutio hac in parte etiàm cessavit. (4)

Ad Tit. XVII. XVIII. XIX.

DE LEGITIMA PATRONORUM TVTELA. DE LEGITIMA PARENTUM TUTELA. DE FIDUCIARIA TUTELA.

Cum hae tutelarum species extra usum ferè apud nos sint; sàt erit, quaerenti exponere, quid ipsae fuerint inter Romanos, aut iure partitarum.

Ad Tit. XX.

DE ATILIANO TUTORE, &c.

Si nec testamentarius, nec legitimus adsit tutor,

(1.) L. 18. tit. 1. P. 6. (2.) Ead. (3.) L. 2. et. 3. tit. 18. P. 6. (4.) Prag. Sanct. 12. Martii 1771.

locum sibi vindicat Atilianus, seu dativus, qui à Magistratu, videlicèt constituitur in aliorum subsidium. (1)

Qui Magistratus apud Romanos tutores dare diversis temporibus potuerint, quaerenti respondebitur.

Apud nos verò, Iudex ordinarius domicilii, nativitatis, originis, vel loci ubi maior pars patrimonii impuberis fuerit, tutorem dare debet (2)

Si omnes casù dederint, primò datus; si verò cuncti simùl eodemque tempore; is ceteris praeferendus, qui à Iudice domicilii datus fuerit (3)

Iudex superior tùm delegare tutoris dationem poterit, cùm pupilli facultates quingentos maravedinos non excedant (4)

Si pupillus ex eorum numero sit, qui *Grandes* apud nos dicuntur, Rex adeundus est. (5)

Tutor á cognatis, amicis, aut quolibet ex populo petendus. (6)

Imò Iudex ex officio eum dare poterit. (7.)

Sub conditione, in diem, vel ex die, tutor iure Romano dari nequit; quod praxi usuque fori, et apud nos

(1) L. 2. tit. 16. P. 6. (2.) L. 12. Eod. (3.) Arg. dict. L. 12. tit. 16 P. 6. (4.) Ead. L. (5.) L. 14. Tit. 5. lib. 2. Recop. Cast. (6) Dic. L. 12. (7.) Ead. Leg.

nos introductum est.

Cum tutela dativa sit in subsidium, locus ei erit, cum testamentaria, aut legitima defecerit.(1)

Ad Tit. XXI.
DE AUCTORITATE TUTORUM.

SI pupillus est infans, omnia eius nomine agit tutor, idque administrare proprio sensu dicitur. (2)

Si infantiae, aut pubertati proximus, ipsemet pupillus omnia agit, sed praesente, ac consentiente tutore; qui tùnc interponere dicitur auctoritatem. (3)

Auctoritas itaquè est: actus quo tutor approbat, quod pupillus infantia maior gerit, & ex quo eius conditio fieri posset deterior. (4)

Cum hac auctoritate opus tùnc solummodò sit, cum pupilli fit deterior conditio; ipse per se solum titulo lucrativo sibi acquirere poterit (5)

Ergò contractus bilaterales cum pupillo initi, ac firmati, claudicant una ex parte, id est: pupillus non obligatur, etsi alter contrahat obligationem. (6)

Tu-

(1) L. 2. & 12. Tit. 16. P. 6. (2) L. 17. eod. L. (3.) Dic. L (4) Dic. L. 17. tit. 16. P. 6. (5.) Ead L. (6) Ead.

Tutor nequit in rem suam hancce auctoritatem interponere. (1)

Lite itaquè exorta inter tutorem ac pupillum, curator ad litem est nominandus. (2)

Appendix.

DE PERSONA PUPILLI TUENDA.

Cum tuitio, ac defensio pupilli prima sit, ac praecipua tutoris obligatio, ipsum alere, educare, ac defendere in primis debet. (3)

Ea verò alimenta praestare, quae pater testamento disposuerit, si ad id patrimonii vires sufficiant. (4)

Si patrimonium non adeò amplum diffusumque sit, ut ea ferat alimenta, parciùs alendus est pupillus, consulto tamèn Iudice. (5)

Is similitèr adeundus est, ut alimentorum modum decernat, si nihil super his pater disposuerit. (6)

Quandoquè ipse tutor per se modum hunc dicere valet, si nempè, expediat patrimonii vires celare. (7)

---

(1) L. 4. tit. 5. P. 5. L. 23. tit. 11. lib. 5 Recop. Cast. & arg. L. 18. tit. 16. P. 3. (2.) Arg. L. 13. tit. 16. P. 6. (3.) L. 16. & 17. eod. (4.) Arg. L. 19. eod. (5.) L. 20. eod. (6) Dic. L. 20. tit. 16. P. 6. (7.) Ead. L.

Alimèntorum nomine, nedùm cibus, vestitus, habitatio, sed et ceteri sumptus veniunt, si necessarii sint ad civilem, christianamque pupilli institutionem. (1)

Cum non solùm alere, educare, sed defendere etiàm pupillum tutor debeat; hinc quotiès lis cum ipso fuerit, in arenam descendere ad eiusdem officium pertinet. (2)

Verbo: vice parentis in omnibus tutor fungitur.

Ob ea itaquè, aliaque similia munera tutoribus, ac curatoribus decima fructuum, aut redituum à iure concessa. (3.)

Ad Tit. XXII.

QUIBUS MODIS TUTELA FINITUR.

Finitur 1. morte vel tutoris, vel pupilli. 2. capitis deminutione, et quidèm pupilli, quacumque; at tutoris, solùm maxima, et media, nisi tutela sit legitima. 3. pubertate. 4. veniente die, aut existente conditione, si de testamentaria fiat sermo. 5. excusatione. 6. remotione tutoris. (4)

Finita tutela, eiusdem nominis tutelae exurgit actio, & quidèm pupillo, directa ad rationes reddendas

(1) L. 16. tit. 16. P. 6. (2.) L. 17. eod. (3) L. 3. tit. 3. Fori Iud. L. 2. tit. 7. Fori Reg. (4) L. 21. tit. 16. P. 6.

das; tutori contraria in pupillum, ut se indemnem praestet. (1.)

Redditis rationibus, superest pupillo actio de distrahendis rationibus, si hae perperàm, aut fraudulentèr redditae. (2)

Tutor ob dolum damnatus, infamiam contrahit. 3

Ad Tit. XXIII.
DE CURATORIBUS.

Curatela est: potestas administrandi bona, & rem familiarem eorum, qui rebus suis ipsi superesse nequeunt. (4)

Curatores accipiunt minores, furiosi, prodigi, mente capti, surdi, & muti, absentes, qui perpetuo morbo laborant, cet. (5)

Minoribus veniam ad res suas curandas, Rex concedere solet, supremo senatu consulente. (6)

Uxoratis verò licet suae, ac uxoris rei familiaris curam suscipere, dum decimum octavum aetatis annum attigerint. (7.)

Ipsimet minores curatorem petere solent; at si fortè patris testamento relinquitur, nihil vetat quo-

mi-

(1) L. 21. tit. 16. P. 6. (2) Arg. eiusd. L. (3) L. 4. tit. 18. P. 6. (4) L. 12. tit. 16. P. 6. (5) L. 13. eod. L. 12. tit. 2. P. 3. (6) Senat. 34. tit. 19. lib. 2. et Senat. 26. tit. 5. lib. 3. Recop. (7) L. 14. tit. 1. lib. 5. Recop. Cast.

minùs á Iudice confirmetur, imó id facere debet, quotiès è re pupilli fore intelligat. (1)

Sine curatore res suas minores administrare nequeunt; (2) at ipsum curatorem, fori usu attento, seligere poterunt.

Nulla adest curatela legitima (3.) nisi quae furioso in praxi designari solet.

Curatores dantur à Iudice à quo & tutores. (4)

Indi etiam maiores vigintiquinque annis, velùt minores in alienatione rerum suarum iure nostro putantur. (5.)

Nequeunt itaquè bona sua alienare absquè Iudicis interventu. (6)

Quotiès lis cum eis fuerit, curator ipsis adiungendus, nisi protectorem habuerint. (7)

Ad Tit. XXIV.

DE SATISDATIONE TUTORUM, VEL CURATORUM.

Omnes tutores, vel curatores in quos cadit aliqua suspicio, tenentur satisdare. (8.)

Ergo

(1) L. 13. tit. 16. P. 6. (2) Senat. 26. tit. 5. lib 3. Recop. (3) L. 12. tit. 16. P. 6. (4) L. 12. et. 13. eod. (5) L. 27. tit. 1. L. 6. Recop. Ind. (6) L. ead. (7) L. 1. tit. 6. Lib. 6. Recop. Ind. Arg. L. 17. tit. 16. P. 6. (8) L. 9. tit. 16. P. 6. et. L. 94. tit. 18. Part 3.

Ergò testamentarii à parentibus dati hac lege soluti sunt. (1.)

Apud Romanos, tutores qui á Magistratibus minoribus dabantur, à cautione liberi erant.

Apud nos verò, à maioribus dati, solent non satisdare.

Hucusquè dicta, intelligas de fideiussoria cautione, quae inter Romanos unicè hac in re exigebatur.

Praeter eam tamèn tutores, ac curatores praestare solent iusiurandum, quo officium suum ritè expleturos promittunt. (2)

Ut ad unguem id adimpleant, conficere inventarium, seu repertorium omnium pupilli bonorum tenentur. (3)

Finita curatela, minor actionem adversus fideiussores habet, & quidèm iure civili ex stipulatu: inter nos, ex ipso contractu, quo modo factus fuerit. (4.)

Si fideiussores dati, haùd fuerint idonei, actio datur subsidiaria contra Iudicem; at parùm proficua, cum periculosum sit Magistratibus litem movere.

Id singulare in Hispania est, quod Iudex et periculo Scribae fideiussores dari iubet, et ab ipso

ad

(1.) Arg. L. 9. tit. 16. P. 6. & L. 94. tit. 18. Part. 3. (2.) L. 9. tit. 16. P. 6. (3.) L. 99. tit. 18. P. 3. (4.) L. 102. tit. 18. P. 3. et arg. L. 21. tit. 16. P. 6.

repetere potest, quod conventus solverit.

In America, Tabellionibus congressuum Civitatum iniunctum, ut librum habeant, quo rationem ferant tutelarum, curationum, satisdationum, ac patrimonii pupillorum, et minorum. (1)

Ad Tit. XXV.
DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM, VEL CURATORUM.

QUemadmodùm à reliquis muneribus publicis, ita et á tutela, iustae causae excusare solent, quae aut voluntarias, aut necessarias excusationes producunt. (2)

Voluntariè excusari possunt parentes plurium liberorum, scilicèt, qui quinque liberos legitimos et naturales habent superstites, vel in acie amissos. (3)

Sed etsì casù quis è vivis sublatus fuerit, proficit haec excusatio. (4)

Litteratores, Rethores, Sophistae, Medici, ac Iurisconsulti, ita dèmùm excusantur, si sint indus-

(1.) L. 6. tit. 8. lib. 5. Recop. Ind. (2.) Procem. & L. 1. tit. 27. P. 6. (3.) L. 2. eod. (4) L. 14. tit. 1. Lib. 5. Recop. Cast.

trii professores, iussuque Regis doceant; at Iurisconsulti, solùm quando Regi inserviunt. (1)

Absentes Regis, aut Reipublicae caussa, etiàm intra annum regressus excusantur (2)

Tria tutelae onera, aetas septuagenaria, morbus sonticus, capitalis inimicitia cum pupilli patre, litterarum ignorantia, ac paupertas, sunt aliae iustae, ac voluntariae excusationis caussae. (3)

Necessariò excusantur, seu non admittuntur furiosi, mente capti, surdi, & muti, milites, minorennes, mulieres, excepta matre, & avia, ii qui litem cum pupillo habeant, aut habere proximè possint, & qui res fiscales administrant. (4)

Episcopatus, & Monachatus sunt caussae necessariae; at Clericatus est voluntaria circa tutelam legitimam. (5)

Iure Romano ac Partitarum, necessariò excusabatur maritus, ut curator esset uxoris; at tantùm id abest iure hodierno, quòd eo expresè conceditur ipsi rei uxoris administratio. (6)

Coram eo Iudice excusationes proponendae, qui tutorem, aut curatorem iure nominat, aut nominare debet (7)

Nec

(1) L. 3. tit. 17. P. 6 (2) L. 2. Eod. (3) Dic. L. 2. tit. 17. P. 6. (4) L. 4. et 14. tit. 16. P. 6. et arg. L. 3. tit. 17. P. 6. (5) L. 14. tit. 16. P. 6. (6) L. 14. tit. 1. lib. 5. Recop. Cast. (7) L. 4. tit. 17. P. 6.

Nec prohibetur quominùs pluribus, quis uti excusationibus possit. (1)

Eisdem coram Iudice expositis, minimèque admissis; apellationi locus erit, secùs ac in aliis muneribus publicis, in quibus à nominatione appellare statìm licet. (2)

Si verò excusationes haùd fuerint legitimae, damna, quae ex lite iniusta pupillo, aut minori obvenerint, à tutore, vel curatore compensanda sunt. (3)

Ad Tit. XXVI.

DE SUSPECTIS TUTORIBUS, VEL CURATORIBUS.

Tutor aut curator suspectus dicitur, qui non ex fide tutelam, aut curam gerit. (4)

Accusatio criminis suspecti, quasì publica, omnibus patet. (5)

Sunt verò, qui teneantur accusare, videlicèt, contutores, ac personae coniunctae. (6)

Si non sit, qui accusare velit, Iudex ex officio procedere poterit. (7)

Ipsi pupilli accusare non possunt, nisi annos pubertatis expleverint, ac necessariorum consilium sumpserint. (8)

(1.) Arg. L. 9. tit. 3. P. 3. & L. 1 tit. 5. lib. 4. Recop. Cast. (2.) L. 8. tit. 23. P. 3. (3.) L. eod. (4) L. 1. tit. 18. P. 6. 5) L. 2. cod. (6) L. eod. (7.) L. 3. cod. (8) L. 2. cod

70-226
Wormser
B801
M53

Omnes tutores accusari tanquàm suspecti possunt, sivè testamentarii sint, sivè dativi sivè legitimi. (1)

Remoti enim infames evadunt, si removentur ob dolum aequè ac dum finita tutela damnantur. (2)

Etsì tutores, ac curatores removeri non possint, nisi finita caussa; suspendi tamèn debent, ex quo lis contestata fuerit. (3)

Iudices ordinarii de hoc crimine ius apud nos dicere possunt, nisì ad Regium Senatum lis perferatur ex privilegio vulgò *caso de Corte*. (4)

Imprimatur.
Dr. Sicilia, Rector.

(1) L. 2. tit. 18. P. 6. (2) L. 4. eod. (3) L. 3. eod. (4) L. 2. eod. L. 5. tit. 3. P. 3.